


# PALAESTRA LATINA

## S U M M A R I U M

|                                  |                     |
|----------------------------------|---------------------|
| De Orthographia Latina           | (JIMÉNEZ)           |
| Carmen Saeculare                 | (MARTIJA)           |
| De vita et operibus Caesaris     |                     |
| Augustis                         | (LOPEZ DE ZUBIRÍA)  |
| Caesar Augustus et ejus memoria  |                     |
| – monumentis Christianis         | (TENA)              |
| Commercium Epistulare            |                     |
|                                  | (AVENARIUS-JIMÉNEZ) |
| Errata Corrige                   |                     |
| De genitivis nostrum, vestrum ac |                     |
| nostri, vestri                   | (MIR)               |
| Ordo Studiorum                   | (SURRIBAS)          |
| Emerita                          |                     |
| Mirifica Portenta                | (MARCOS)            |

Ordinarii et Superiorum permissu



**Talleres Castellanas, S. A.**

(Casa fundada en 1871)

**Escultura Religiosa**

Exposición y venta: Vía Layetana, 155 - BARCELONA

## Librería Litúrgica

RAFAEL CASULLERAS. - Vía Layetana, 85. - BARCELONA

Nuevas Ediciones en Latín Impresas en España

### B R E V I A R I U M R O M A N U M

Cuatro tomos en 18.º. En tamaño 10'50 x 16 cent. letra clarísima, a dos tintas, papel indiano. Todos los oficios últimos insertos en su lugar respectivo. Todos los elementos y materiales que entran en la confección de una obra de esta envergadura, papel, tintas, impresión y encuadernación son netamente de fabricación nacional.

Han aparecido dos tomos. Los otros dos saldrán a luz uno en el mes de Marzo, y el último en el mes de Junio de 1941.

**Precios:** Enc. n.º 1. En tela negra, rótulos dorados, anagramas gofrados, cintas, registros, cortes amarillos o rojos y estuche: **Pesetas, 150**

Enc. n.º 2. En piel chagrín negro, rótulos dorados, anagramas gofrados, cortes dorados, cintas y estuche: **Pesetas: 250**

NOTA: Los precios son sin ningún propio. Estos se cargan aparte. Al indicar la diócesis que pertenece el suscriptor se entenderá que desea el Breviario con los propios de la diócesis que cite. Si no los hubiera publicados se le pondrá solo los propios de España.

**Pida hojas de Muestra y prospectos detallados de la Edición**

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

# PALAESTRA LATINA

SEU DE LATINITATE COMMENTARIUS ALTERNIS MENSIBUS EDENDUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 20 pesetarum in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 1042

## De Orthographia Latina

### I

#### Orthographia historica

«Orthographia consuetudini inservit, ideoque saepe mutata est», ait Quintilianus (I. 7, 11). Quod non tantum ex latinis scriptoribus constat, sed etiam ex vernaculis. Neque enim apud nos Alphonsus X in *Las Partidas*, Sta. Teresia in *Las Moradas*, Saavedra Fajardo in *La República literaria*, Menéndez Pelayo in *Los Heterodoxos Españoles*, Pemán in *Poema de la bestia y el ángel* eandem scribendi rationem servaverunt, neque monumenta archaica inter latinos cum scriptis mediae aut infimae latinitatis conveniunt, e contra, quandoque maxime differunt. Sint ex. gr. haec tria documenta, quorum transcriptionem apponam:

#### 1. Epitaphius Lucii Scipionis <sup>1</sup>

Consulis anno 495 ab U. C. = 259 ante Xtum. n.

cornelio. l. f. scipio  
aidiles. cosol. cesor.

Cornelius L. f. Scipio  
Aedilis Consul Censor

honc. oino. ploirume, cosentiont. r...  
duonoro. optumo. fuise. viro  
luciom. scipione. filios, barbati  
consol. censor. aidilis, hic, fuet. a...  
hec. cepit. corsica aleriaque. urbe  
dedet. tempestatebus. aide. meretod

hunc unum plurimi consentiunt (Romani)  
bonorum optimum fuisse virum  
Lucium Scipionem filius barbati  
Consul Censor Aedilis hic fuit a(pud nos)  
hic cepit Corsicam aleriamque urbem  
dedit tempestatibus aedem merito.

#### 2. Inscriptio dicta «duenorum» <sup>2</sup>

saec. VI ante Christ, natum certo certius scripta et Romae apud Quirinalem inventa  
Iouesat deinos, qoi med mittat, nei ted Jurat deos, qui me mittat, ni in te comis  
endo cosmis uirco sled, ast... oites, iai virgo sil, ast... utens, ei pacari vis: bonus  
pakari uois; duenos ned feced en manom me fecit in bonum, ne me malus stato.  
einom duenoi, ne med malos statod.

<sup>1</sup> Cfr. CIL. (Corpus Inscriptionum Latinarum) vol. I. 31, 32; vol. VI 1. ae partibus 1286, 1287. — Ritschl PLME (Priscae Latinitatis Monumenta Epigraphica) 1862 pl. XXXVIII. — <sup>2</sup> Ernaut, Textes latins archaïques p. 5.

### 3. Donum Faliscorum in Sardinia<sup>1</sup>

Haec scriptio certo post Ennium, forte anno 180 ante Christ. n. caelata est

Iovei Iunonei Mineruae Falesce quei  
in Sardinia sunt, donum dederunt. ma  
gistrels L. Latrius K. f. Salvena Voltai  
f. coltraueront.

Gonlegium quod est aciptum aitatei  
[aged(ai),  
opiparum ad ueltam quolundam fes-  
(tosque dies,  
quei souels aastutiels opidque Volgani  
gondecorant sai(pf)sume comuluia loi-  
[dosque,  
ququei huc dederunt imperatoribus sum-  
|mets,  
utei sesed lubentes bene iouent optan-  
|tis

*Jovi Junoni Minervae Falesci qui in  
Sardinia sunt donum dederunt; magistri  
Lucius Latrius Kaesonis (?) filius Salvena  
Vollae filius curaverunt.*

*Collegium quod est acceptum aetati agen-  
[dae,  
opiparum ad vitam colendam festosque  
[dies,  
qui suis astutiis opeque Vulcani  
condecorant saepissime convivium ludosque  
coqui hoc dederunt imperatoribus summis,  
uti sese libentes bene juvent optantes.*

Jam ex his inscriptionibus facile intelleges quam varia fuerit diverso tractu temporum orthographia latina. Magni momenti est principia seu fundamenta cujuscumque temporis, siqua certa sint, praestituere ad monumentorum textuumque interpretationem, quod triplici partitione proponemus:

- A) orthographia latina archaica
- B) orthographia latina classica
- C) orthographia latina vulgaris

#### A) **Orthographia latina archaica**

##### a) *Difficultas*

Orthographiam latinam archaicam eam dicimus quae ab U. C. ad Ennium usque decurrit, h. e. ab anno 754 ad 180 a. Chr. n. Eam recte definire difficillimum sane est cum

- α) monumenta exstant pauca
- β) eaque obscura
- γ) immo et contraria

##### α) *Monumenta exstant pauca*

Nam si excipiuntur «Carmen Fratrum Arvalium» (754-715<sup>2</sup>), Lex Numae Pompilii (714-671), Lex Servii Tulii (578-534), Carmen Saliorum (saec. VI), Inscriptio Duelliana Columnae Rostratae (260), Epistula Consulium ad Teuranos de Bacchanalibus (an. 186), Livii Andronici reliquiae (an. 240), monumenta linguae latinae archaica, pauca remanent.

<sup>1</sup> Cfr. CIL, XI, 3.078; Archiv f. lat. Lexikographie XV, 138. — <sup>2</sup> Cfr. M. Egger, Latini sermonis vetustioris reliquiae selectae p. 75.

### β) *Eaque obscura*

Adeo ut de Carmine Saliorum dixerit Quintilianus: «*Saliorum carmina vix sacerdotibus suis intellecta. Sed illa mutari vetat religio; et consecratis utendum est*»<sup>1</sup>

In Carminis Fratrum Arvalium interpretatione quot sunt capita tot sententiae. Praetereo quattuor transcriptiones inter se diversas ab Eggerio collectas in opere cui titulus «*Latini sermonis vetustioris reliquiae selectae*» (Parisiis 1843). Juvat tamen hic proferre quid de laudato carmine Mommsem, Edon, Breal, Habet, egregii quidem interpretes senserint:

#### 1. **Mommсен**<sup>2</sup>

Enos, Lases, iuvate / Neve luae rue,  
Marma sins incurrere in pleores / Satur  
fu, fere Mars Limen sali. Sta. Berber /  
Semunis, alternei advocapit conctos; /  
Enos, Marmor iuvato / Triumpe.

NOTULAE: enos = nos *sicut* ἐμῆ = μῆ; —  
Lases = Lares; luae = lue = luem; rue = ruem  
(*ruinam*); pleores = plerosque; Marma = Ma-  
mers = Mars; sins = sinas; fu = fue *sicut* es =  
esto; Semunis = semi + hemones (= *homines*).

#### 3. **M. Breal**<sup>4</sup>

Enom, Lases, iuvate / Neve lue arve,  
marmar, sers incurrere inpleores... / Sa-  
ta tutere, mars. Climens sati sta, berber  
/ Semunis alternei advocapit conctos /  
Enom, marmor, iuvato / Triumpe.

#### 2. **Georgius Edon**<sup>3</sup>

El nos, Lases, juvate / Hi mi lua fave;  
Marmar, serp, incure se! Inde foris / Sa-  
tur face. Remars: limen sali / Manis pa-  
ternei advocate / El nos Marmars juvato  
/ Triumpe.

INTERPRETATIO: *O! nos, Lares, juvate / His mi-  
bi luam fabis; umbra, serpe incure, iis! Inde foras /  
Satur fuge, Lemur: limen salii! / (stabit aversim) /  
Manes paterni avolate / (cuncti) / O! nos, Umbra,  
juvato / Triumph!*

#### 4. **L. Havet**<sup>5</sup>

El nos, Lases, juvate! / Ne velueris,  
Marmars incurrere in pleoris / Satur fu,  
fere Marmars, neve insilli, sta... / Semu-  
nis alternai advocapit conctos / El nos,  
Marmars juvato / Triumpe.

### γ) *Immo et contraria*

Nonnullas inscriptiones antiquas modo perlustravi, ubi haud sine magna disquisitione has varias formas inveni:

hec  
aediles  
fuet, cepet, dedet,  
exemet, ornavet  
castreis, sociéis, eis, claseis, naveis  
maxumas  
cosol. cesor  
Taurasia, uiro, oino  
filios, navebos,  
leclones, maclstratos, exfociont, carta  
[ciniensis  
dictat ored, meritod

hic  
aedilis  
fuit, cepit, subigit,  
abdoucit  
clases, navales  
maximus  
consol, censor  
Laucanam, Luciom  
Cornelius, Lucius, Barbatus, tempestatebus  
gnaiuod, prognatus, subigit,  
patre

Hae vero mutationes, quaecumque ex causa proveniant, sive ex libertate auctorum, aut ex incuria temporum, sive ex scribarum proditione, nihil obstant quominus principia quaedam archaicae orthographiae cum hodierna orthographia comparate proponamus.

Barcinone, 21 - II - 41.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> JIMÉNEZ, C. M. F.

<sup>1</sup> Inst. Orat I, 6, 40 — <sup>2</sup> CIL. I n. 28. — <sup>3</sup> CIL. I n. 28 — <sup>4</sup> Ecriture et Prononciation du latin et appen-  
dice sur le Chant des Frères Arvales. Paris. H. Bellin. 1882. p. 316. — <sup>5</sup> Memiores de la Société de linguistique  
de Paris t. IV p. 373. — <sup>6</sup> De Saturnio Latinorum versu. Paris. E. Velweg. 1880 p. 218.



AD BEATAM M. VIRGINEM DE COLUMNA  
IN XIX CENTENARIO ADPARITIONIS

## CARMEN SAECULARE

IN MAXIMO ET TOTIUS HIBERIAE SUBOLIS TEMPLO  
DECANTATUM AUGUSTEA HEBDOMADA PERCURRENTE

(Imitatio Horatiana)

*Virginum Regina, throno perenni  
Caesaraugustae residens, Columna,  
Lucidum caeli decus atque Hiberæ  
Gloria gentis.*

5 *Cujus ad fines, remanente vita  
Sponte venisti, monumenta amoris  
Adferens: dona pia quae precamur  
Tempore sacro,*

10 *Quo tuæ plebis pietas fidesque.  
Aurei sæcli redeunte cursu,  
Voce festiva docuere gratum  
Dicere carmen.*

15 *Alme Sol, curru nitido diem qui  
Promis et celas, spatii per orbem  
Matris Augustæ nihil aede possis  
Visere majus.*

20 *Ecce succensus studio Jacobus  
Hausit hic vires patriisque in arvis  
Ausus est primus bene christianam  
Pangere vitem.*

*Saepe commixto violenter imbre  
Pampinos turbo quatiens tenellos,*

*Martyres fecit, simul obferenda  
Munera Matri.*

25 *Saepius diris agitata ventis,  
Sustulit pulsus, velut arbor ingens,  
Namque radices Mariale flumen  
Servat et auget.*

30 *Siste, qui Augusti peregrinus Urbem  
Visis: hic sanctus locus est, Columna  
Haec ubi surgit, Genetricis almae  
Nobile pignus.*

35 *Nullus o nostram sileat Columnam  
Angulus terrae: popularis hymni  
Caesaraugustae resonent frequenti  
Compita cantu.*

40 *Virginis laudes rota saeculorum  
Vicies ferme revoluta dicat,  
Atque labenti sine fine fluctu  
Cantet Hiberus.*

*Iam mari terraque manus potentes  
Sentit Hispanas stupefactus orbis,  
Miles hostilis didicitque avorum  
Iura vereri.*

45 *Surgit experrecta phalanx virorum,  
Prima quae rubras domuit catervas:  
Pristinus surgit vigor et Leonis  
Robur Hiberi.*

50 *Jam fides et pax et honor pudorque  
Priscus et casti rediere mores*

*Hesperis, virtus rediitque avita,  
Auspice Franco.*

55 *Quem Ducem multos, pia Virgo, in annos  
Sospitem serves, meliusque semper  
Prorrogas aevum: patria decora  
Pace fruente.*

60 *Da probos morès docili juventae,  
Da senectuti placidae quietem,  
Da maritatis subolem, atque vitam  
Omnibus aequam.*


*Fertilis frugum pecorisque tellus  
Spicea donet patriam corona,  
Audeat pleno recreare tecta  
Copia cornu.*

65 *Perge, Regnatrix, ope nos juvarè,  
Imbue Hispanas pietate mentes,  
Usque sis nostrum columen, Maria,  
Praesidiumque.*

70 *Corruent arces hominum superbae,  
Concident clarùm monumenta regum,  
Inter immensas penitus ruinas,  
Sacra Columna,*

75 *Sola consetes, fidei superstes  
Symbolum, cunctas monitura gentes:  
«Discite in caelum, populi, serenas  
Tollere mentes».*

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.



## De vita et operibus Caesaris Augusti

Dum Caesaraugustae memoriam Divi Augusti celebramus eique, anno bis millesimo ab ejusdem nativitate feliciter transacto augustum monumentum dicamus, vitam atque praecipua ejus opera in medium revocare PALAESTRAE LATINAE lectoribus gratissimum fore existimavi.

Cajus Octavius atque Atia Augusti fuerunt progenitores. Octavius, praetor, magnam quidem aestimationem a principio, opes atque honores consecutus est. Macedoniam sortitus est, quam maxima aequitate atque fortitudine gubernavit, Macedoniâ rediens, morte periit repentina, superstitibus liberis, Octavia majore, quam Ancharia, et Octavia minore, item et *Augusto*, quos ex Atia habuerat. Haec Atio Balbo et Julia, sorore C. Caesaris, genita erat. Quapropter C. Caesar avunculus est Augusti.

Cajus Julius Caesar Octavianus Augustus Romae natus est anno sexcentesimo nonagesimo primo ab Urbe atque tribus et sexaginta

ante Jesum Christum, M. Tullio Cicerone et Antonio consulibus, XI Kalendas Octobres regione Palatii.

Annum quartum agens patre orbatu est atque a Julio Caesare adoptatus est. Sexdecim erat annorum cum virilem sumpsit togam et jam donis militaribus donatus est. Viginti annos natus consulatum ingressus fuit. Profectum Julium Caesarem, avunculum, in Hispanias subsecutus paucis quidem comitibus.

Post receptas Hispanias Augustus Apolloniam, ubi studiis vacavit, praemittitur. Litterarum studiis deditus, de caede avunculi seque haeredem ab eo constitutum fuisse certior factus est. Mox Romam venit. Ab eo tempore primum cum Antonio et Lepido — triumviratu facto — deinde cum Antonio per duodecim fere annos, novissime per quattuor et quadraginta solus rem publicam administravit.

Quinque bella civilia gessit Augustus, scilicet, Mutinense, Philippense, Perusinum, Siculum, Actiacum. Ex quibus primum ac novissimum adversus M. Antonium; secundum adversus Brutum et Cassium, avunculi interfectores; tertium adversus L. Antonium, triumviri fratrem; quartum adversus Sex. Pompejum, Cn. filium. Omnium bellorum initium et causam hinc sumpsit, nihil convenientius ducens, quam necem avunculi vindicare.

Duo omnino per se gessit bella externa, Dalmaticum cum adolescens erat et Antonio devicto, Cantabricum. Reliqua per legatos administravit. Tota fere Hispania pacata erat praeter duas validissimas gentes, quae imperium maxime agitabant. Cantabri et Astures. L. Annaeus Florus sic Hispanum describit certamen: *«Cantabrorum et prior et altior et magis pertinax in rebellando fuit; qui non contenti libertatem suam defendere, proximis etiam imperitare tentabant, Vaccaeosque et Turmodigos et Autrigonas crebris incursionibus fatigabant. In hos igitur, quia vehementius agere nuntiabantur, non mandata expeditio, sed sumpta est. Ipse venit Segisaman; castra posuit: et tripartito exercitu totam Cantabriam amplexus, efferam gentem, ritu ferarum,*

quasi indagine, debellabat». «Astures — ait quoque Florus— per id tempus ingenti agmine a montibus suis descenderant. Nec temere sumptus, ut barbaris, impetus; sed positis castris apud Asturam flumen trifariam diviso agmine, tria simul Romanorum castra adgredi parant. Fuisset et anceps et cruentum et ultimum mutua clade certamen cum tam fortibus, tam subito, tam cum consilio venientibus, nisi Brigaecini prodidissent: a quibus praemontus Carisius, cum exercitu advenit oppressitque consilia. Sic tamen quoque non incruento certamine. Reliquias fusi exercitus validissima civitas Lancia excepit: ubi tamen loci adeo certatum est, ut, cum in captam urbem fasces poscerentur, aegre dux inpertraverit veniam, ut victoriae Romanae stans potius esset, quam incensa, monumentum».

Bellum Hispanum per quattuor aut quinque stetit annos. Augustus Cantabros subegit atque Astures postquam tamen omnibus gentibus virtutis libertatisque amoris exempla dederint maxima.

Caesar Augustus rei publicae negotiis politicis atque bellicis se totum tradidit: scientiis autem semper primas dedit partes Jam a primis annis eloquentiae atque liberalibus studiis cupidissime vacavit. Neque sermonem unquam habuit ad populum neque ad milites «nisi meditata et composita oratione». «Sermones quoque — ait Suetonius— cum singulis, atque etiam cum Livia sua graviores, non nisi scriptos et e libello habebat, ne plus minusve loqueretur ex tempore».

Sub Augusto Vergilius, Horatius, Ovidius, Titus Livius ceterique scriptores maxime floruerunt. Litterae eum adeptae sunt splendorem qualis nec superioribus nec posterioribus fuit temporibus. Saeculum vere aureum litterarum Augustarum merito adpellari debet quippe quae ad summum perfectionis evectae sunt, multa Ipse quoque Augustus prosa oratione composuit, nempe: *Rescripta Bruto de Catone, Hortationes ad Philosophiam, Sicilia, Ajax et Achilles*», cet.

Non aegre nunc lectores ferent magni Imperatoris physicarum descriptionem qualitatum, moralibus jam relatis. «Oculos — inquit Suetonius— habuit claros ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris; gaudebatque, si quis sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorem solis, vultum summitteret; sed in senecta sinistro minus vidit. Dentes raros et exiguos et scabros; capillum leniter inflexum et sufflavum; supercilia juncta; mediocres aures; nasum et a summo eminentiorem et ab imo deductionem; colorem inter aquilum candidumque; staturam brevem (quam tamen Julius Marthus, libertus et a memoria ejus quinque pedum et dodrantis fuisse tradit), sed quae commoditate et aequitate membrorum occuleretur, ut non nisi ex comparatione astantis alicujus procerioris intellegi posset».

Supremo vitae die speculum postulavit atque capillum comi praecepit. In eodem, quo pater Octavius, cubiculo obiit Nolae, duobus Sextis, Pompejo et Appulejo consulibus, decimo quarto Kalendas Septembres, septuagesimo et sexto aetatis anno, et decimo quarto anno post Christum natum mortem facilem et, qualem semper desiderarat, brevem, adeptus est. Ob tot ingentia facta «Dictator perpetuus, et Pater patriae, necnon et Romulus, praecipue vero Augustus» meruit adpellari.

Alabonae apud Caesaraugustam.

MACARIUS LÓPEZ DE ZUB'ÍA, C. M. F.

# CAESAR AUGUSTUS ET EJUS MEMORIA IN MONUMENTIS CHRISTIANIS



VISIO AUGUSTEA  
(cfr. Speculum humanae Salvationes)

Vergilianum illud «tu regere imperio populos, Romane, memento» et exercitu populos sub jugum mittendo et Latina lingua ceteras obscurando necnon et legibus et monumentis fit undequaque manifestum. Postquam Caesarea Augusta, suo conditori, a qua nomen et honor, Caesari Augusto, debitos exhibere vult honores, diversis diversa tractantibus, quae partim ad historiam, partim ad doctas fabulas de Jovis Capitolini Templo, in ecclesiam mutato, feruntur, ea in PALAESTRA LATINA conscribenda suscepi.

Universalis dominationis ab Roma in gentes exercitae quasi signum et apex Capitolium habetur. Aedificia ibi constructa tribus distributa partibus, Roma-

ni imperii trinos aspectus designant: *Rupes Tarpeja* fortitudinem in hostes cum internos tum externos significat: *Tabullarium*, senatus acta continens, scientiam juridicam, elatum intellectum, publicum jus prae se fert; denique *Capitolium*, ut tale, quod nempe tale insignitur nomine, ut monumentum perenne et quasi documentum theologicum se habet, scopum supremum significans sive armorum sive scientiae politicae populi Romani ceteros sibi populos subdentis.

In summitate collis, a Tarquiniis constructum, a Sulla reparatum, columnis Athenis Jovis Olympici deductis ditatum, pluries dein amplificatum et solidatum, omnium Romae templorum fuit primum, non quidem sub titulo peculiari nec locali quodam vel accesorio attributo, sed hoc supremo «Optimo Maximo» Jovi dicatum.

Roma enim, urbium urbs, putabat se nihil accepisse nisi ope bonitatis et potentiae illius numinis quem ut deorum deum venerari fas erat. Ad hujus templi porticum *via triumphalis* desinit; in ceteris templis diversa obferuntur dona; in hoc autem inmolatio politica gentium locum habet, Roma ceteros populos subjiciente, regesque ducesque ad «*triumphum*» proferente.

Vandalis Romam vastantibus, naves africanas Gensericus hujus templi spoliis onerari curavit; postque tam inmanem destructionem tamque horrendam desolationem, non aliter ac homo qui peccatis obrutus, gratia effertur et nitet, sub Grego-

rio Magno, Pontifice Romano, Christianam ecclesiam super eos muros et reliquias erigente, alii spiritali imperio servire deinceps potuit.

Duae et viginti columnae, quibus haec ornatur antiqua ecclesia, procul dubio e pagano monumento sunt deductae, aliaeque plurimae, e diversis monumentis, adlatae reliquiae ibi sunt adunatae. Saeculo XVI currente conspici fas erat inscriptiones, urnas, aquae lustralis vasa, sculpturas equestres pugnas referentes, servorum et captivorum supplicia; quae tamen, ob antiquitatum incuriam, fere omnia perierunt. Manet autem quaedam vetusta inscriptio. Ingressi sinistrorsum in sacellum, in tertia columna, haecine se obferunt verba: «A CUBICULO AUGUSTORUM». Utrum haec columna posita fuerit in aliqua aede templo proxima, an a Caesarum palatiis fuerit deprompta, scire certo non valemus; hujus modi tamen inscriptio mirum in modum inservit ad perpetuandam memoriam et nomen Augusti tam directo et intime connexa et ligata significatui hujus Capitolinae ecclesiae.

Non abs re erit, PALAESTRAE LATINAE lectoribus, et Augusti Imperatoris clarissimis fautoribus quandam pulcram et Christianam traditionem recolere hanc rem, quidquid veritatis sit in ea, adprime conlustrantem. Id autem certissimum est: eam traditionem incorporasse huic Christiano monumento, gratissimam recordationem illius Imperatoris sub cuius signo Christus natus est in mundo. Apud Eusebium Pamphiliensem legitur Augustum, cum Delphos venisset Apollinem consulturus circa ejus in imperio successorem, responsum accepisse natum quidem eodem tempore existere haebraeorum quendam infantem, ejus umeri etiam in ipsos deos imperium portarent. Nicephorus dein Codrenus et Suidas traditionem iterum narrant. Illorum autem postremus notatu digna; fortasse ex alia antiquiore traditione desumpta, haec addit: «Postquam tale ab oraculo responsum Augustus accepit, aram in Capitolio erigendam curavit litteris Latinis inscriptam»: «HAEC EST ARA PRIMOGENITI DEI».

Labentibus saeculis, altare augustale quidam existimarunt adservari in hoc templo. Unde ducunt titulum ecclesiae inpositum. Dicebatur enim ex ecclesia Sanctae Mariae ad Capitolium, servato nomine *ara* ei tantum templi parti superius indictae. Petrus Mallius et Johannes Diaconus mentionem habent ecclesiae Sanctae Mariae ad Capitolium «ubi est *ara Filii Dei*». Cum autem quaelibet ecclesia pluribus donetur aris, usquam tamen usu venit aedis sacrae desumere titulum ab illa parte quae, communis cum sit ceteris omnibus, nihil speciale evocare valeat. Inde est quod, nullo modo explicari queat exceptio, nisi ratione habita specialis, immo et extraordinariae originis, quae huic arae tribuitur. Titulus vero et nominatio complentur impraesentiarum his verbis: «*Ara caeli*», sive ob ejus situm in summitatem montis Capitolini, sive quod Romae primus ibi nuntius habeatur illius sacramenti a saeculis in Deo absconditi, unionis scilicet caeli et terrae in Christi summi Imperatoris unica divina Persona.

Pictor Cavallini, dum ecclesiae absidem in testudine pingeret, traditioni huic consentiens, Beatam Virginem Mariam Jesum in ulnis portantem figurat et ad ejus pedes imperatorem Augustum sistentem cui Tiburtina Sibylla Christum ostendit.

Ita aevo cursum volvente, templum illud gentile, ut pluries Romae contigit, in Christianam est conversum ecclesiam, nonnullis tamen, ob priorum temporum venerationem, remanentibus lapidibus signisque gentilitatis.

Tradendum autem oblivioni non est templum Capitolinum quasi sanquarium fuisse prophetiarum sibyllinarum, quarum lumine ductus imperii Romani conditor, etsi ignarus, veneratus fuerat Hominem-Deum de caelo missum, qui sub ejus imperio erat regnaturus. Idcirco adserere possumus erectam huic fidei aram praechristianam quidem fuisse et, ob id, in templo Christiano adservatam velut indicem fidei Augusti in libros sibyllinos ac velut testimonium ecclesiae, virtutes exaltantis egregii imperatoris, cujus exiit editum ut describeretur orbis; unde factum est ut Maria in Bethlehem perrexisset ubi Jesus nasceretur, prodivitque decretum huic civitati nomen imperiale tribuens, quam Beata Virgo vicissim eodem saeculo dum in terris degeret, inviseret et in aeternum Latinum et Christianum Imperium consociaret.

Caesaraugustae in Inst. «*M. Servet*» litterarum Lat. Prof.

VINCENTIUS TENA, CANONICUS GRANATENSIS

## ***Commercium Epistulare***

*Andreas Avenarius S. V. D. Joseph Jiménez C. M. F. S. D.*

Diu sane frustra expectavisti miratusque es, ecquid esset factum, cur Avenarius nullam syllabam tam diu; non mortuum esse apparere ex eo quod tamen interdum, etsi satis raro, ipsius nomen in commentariis aliis latinis legatur; Monuimus publice privatimque per litteras, ne tardaret. Num qua re est offensus ejus animus? Cur veterem amicitiam dissimulat?

Noli diu quaerere! noli inutiles contexere opiniones! Avenarius idem, qui fuit est, sed ad scribendum multo factus est tardior. Officium, quod in urbe suscepit, ad epistolas et ad articulos fecit tam segnem, ut certe omnes mirentur vel indignentur. Mihi obsunt istae sessiones, qui antea assidue fuerim motus, qui per silvas et agros cucurrerim. Quid facias post cibum meridianum, qui mihi sumi solet hora quarta-decima? Cum divinum officium persolveris et aliquantillum operis necessarii feceris, dies elapsus est. Et sic trudit diem dies, et imperfecta manent omnia consilia. Cogita me velle et debere linguam addiscere ejus terrae, in qua nunc vivo; an praestat semper mutum esse? Sed quam difficile est hanc pulcram linguam, tam abundantem vocabulis, ita discere, ut loquaris, nam pleraque facile legimus, linguam autem, qua non loquaris, quid prodest inter homines?

Sed mittamus verba, ut in rem veniamus. Ecce tui non sum oblitus. Conscripsi aliquid, quod, si non prorsus rejiciendum censueris, PALAESTRAE inseras. Ipse videris, quid sis factururus. De Cicerone scripturus eram, nam in officio meo est liber de

ejus vita, complementum operum omnium. Et certe inchoavi de pueritia scribere ejus et de morte. Sed non mihi contigit, quod tantopere cupiveram, ut iter facere liceret in ejus urbem natalem Arpinum. Et tamen non adeo procul Roma est. Fortasse pace restituta obtinebo, quemadmodum in Tusculano esse et in regione Horatiana villae datum est anno proximo.

Tibi gratias ego quod de re Sinensi, quam ad te dederam, in PALAESTRA mentio est facta. Vehementer autem sum miratus nuper: videre in foliis PALAESTRAE Schipperlianum Colloquium de arteriosclerosi. Putaram omnia ista deleta esse in Hispaniensi tumultu, combusta esse aut diruta. An iterata haec est arteriosclerosis? Est mihi propositum posthac non tam diu taciturnum esse, etsi non placet scribere de Augusto, qui suo assensu quem primo dare noluit, postea Ciceronem nostrum interfici passus est. Videro, quid sim scripturus. Interim gaudeamus quod «punctum mortuum» superatum est. Dic salutem fratribus. Vale, Idibus Februariis. 1941.

*Josephus Jiménez C. M. F. Andreae Avenario S. V. D. S P.*

Vix sacra perfunctus fueram, ecce tabellarius tuas litteras adferebat. Eas primum gratulatorias putavi, erat enim festum Sti. Joseph; at mirabar tempora cum sint tam vehementer agitata et turbulenta, eas ad me tam tempestivas venisse. Tandem involucro soluto, novi eas a te ante mensem Romae datas. Quae mihi, quamvis sero acceptae diuque exspectatae, jucundissima fuere, ut fruges quas ager diu incultus ac paene derelictus uberiores efferre solet.

Quid ergo? Reprehendam tuam in me an potius meam in te tarditatem? Excusationes tuas accipiam an potius eas ipsemet reddam? Utrumque simul. Video sane quam sis plurimis intentus; sed mihi, bone Andrea, rogo credas, nulla fere est dies, in qua negotiis et officiis non tantum vacuus, sed etiam oppressus esse videar. Adde quod haud firma valetudine fruar: pallor inundat faciem, vires deficient, nervi crepant, hebetior fit vis animi. Rusticare me jussit Celsus atque spero post aliquot hebdomadas in Claretiano apud Cervariam transactas pristinum animi et corporis vigorem restitutum iri. Tu vero fac ut valeas. Tuam de Maria Goretti oden et narratiunculam obortis lacrimis perlegebam. Nunc manet in archivo accurate servata ut proxime edatur.

Mirabaris sane de Colloquio Schipperliano in PALAESTRA edito. Revera, in illa Cervariensi clade non omnia diruta et combusta, ut primum fama fuit. Magna pars bibliothecae classicae, partim in aula bibliothecae generalis una cum theologica concionatoria, missionali bibliotheca congesta ibique sub clavi servata, partim a Jovaeo nostro, imminente periculo, in privatas aedes translata ad nos iterum restituta post pacem et libertatem adeptam. Tamen non *in integrum* et in pristina condicione restituta! Sed erant privata quaedam actuaria Jovaei nostri, ubi colloquia Schipperliana servabantur. Nihil tamen de latino dictionario adparuit cui Emmanuel desideratissimus jam dudum operam dabat. Vale.

Dabam in Claretiano Kal. April.

## ***Errata Corrige***

In superiore fasciculo menda irrepserunt (p. 26) quae Cmus. Palata ita corrigenda rogat:

*Ex gremio Domini progressi, vespere cuncti  
rursus festinent mille levare manûs.*

# De genetiuis nostrum, vestrum ac nostri, vestri

Pristina et diuturna fuit apud Grammaticos de genetiuis pronominum personaliū *nostrum* et *vestrum* ac *nostri* et *vestri* controversia: sic fere jam Sanctius in sua *Minerva*. Ipseque Gellius in *Noctibus Atticis* (XX. 6) haec habet: «Percontabar Apollinarem Sulpicium, cum eum Romae adulescentulus sectarer, qua ratione diceretur *habeo curam vestri* aut *miseor vestri*... Et hic mihi ita respondit: «Quaeris, inquit, ex me, quod mihi quoque est jamdiu in perpetua quaestione». Deinde affert Gellius Sulpicii sententiam, juxta quem aptius, ut ei videbatur, pluribus locis latine diceretur *nostrum* et *vestrum* quam *nostri* et *vestri* sicut loquuntur Graeci: ἐπιμελοῦμαι ὑμῶν, κήδομαι ὑμῶν et rationem significat eo quod *nostrum* et *vestrum* essent genetiui ex *nos* et *vos* orti, ut *mei* ex *ego* et *tui* ex *tu*. Quae tamen sententia haud probari videtur si cum clarissimis philologis Riemann et Goelzer in exemplo *nostri paenitet*, *nostri* dicas genetiuum esse singularem neutrum adiectivi possessivi, quod fungitur ratione pronominis personalis, et *nostrum* genetiuum pluralem primigenium ejusdem adiectivi possessivi.

Jam vero in Latino sermone pro genetiuis possessiuis pronominum personalium (*mei*, *nostri*, *vestri*) adhibentur pronomina seu adiectiva possessiua *meus*, *noster*, *vester*. Discrimen igitur apparet inter graecum et latinum sermonem; dices enim graece ὁ φίλος μου, ὑμῶν, cum pronomine personali μου, ὑμῶν, latine vero: *amicus meus*, *noster*, adjecto possessiivo (*meus*, *noster*). Usus qui postea invaluit adhibendi genetiuum pronominis personalis: *pater mei*, *pater nostri* non est aureae latinitatis. Quod ipse Gellius his fatetur verbis: «Itaque si dicere velis *patrem mei* pro *patrem meum*, quo Graeci modo τὸν πατέρα μου dicunt, *inusitate* quidem, sed recte profecto eaque ratione dices, qua Plautus dixit *labori mei* pro *labori meo*». <sup>1</sup>

Quaeres igitur quaenam servandae sint regulae in usu *nostrum*, *vestrum* ac *nostri*, *vestri*. En tibi quas ex Grammaticis, qui subnotantur, colligere valui <sup>2</sup>

## I. Nostrum, Vestrum

1) *Nostrum* et *vestrum* significationem prae se ferunt *partitivam* et ideo rem indicant de qua veluti partem sumimus: *Nemo vestrum* = *nemo ex vobis* (*de entre todos vosotros*); *Quis vestrum* hoc dixit? *quis ex vobis* (*quién de entre vosotros*). Usurpabis igitur *nostrum* et *vestrum* post *partitiva* ut: *alius*, *quis*, *aliquis*, *nemo*, *nullus*, *quicum-*

<sup>1</sup> Sanctius in *Minerva* profert non nulla exempla ex quibus colligere contendit recte usurpari pronomem personale, ut *patrem mei*, et Gellium praeterea errasse, quia «si exempla legeret, fortasse non diceret *inusitate* dici *patrem mei*». At multo rectius et ad veritatem propius accedere videntur Despauterius, Valla, alii clarissimi grammatici, qui genetiuum pronominis personalis «*pater nostri*» respuunt: «Respondeo, Gellius alioqui exquisitissimus auctor erravit in pronomibus *mei*, *tui*, et cetera, ut benedocet Valla, qui ad locum Plautinum (*patrem mei*) jam allegatum respondet mendam esse: aut id rarissimum, aut licenter dictum, non imitandum: praesertim quia Plauti dictum, quo nemo fuit licentia verborum liberior, ut ait Valla». (Despauterius, p. 264). Audi praeterea O. Riemann, (*Syntaxe Latine*: 655, R. T.) «Contrairement à ce qui a lieu en grec, le génitif possessif des pronoms personnels ne s'emploie pas, mais se remplace par l'adjectif possessif correspondant (*ὁ φίλος μου*, *amicus meus*)». Et in nota: «L'usage fréquent du génitif pour le possessif paraît être une particularité des auteurs africains (Cyprien, Commozien)».

<sup>2</sup> Despauterii, *Ninivite Commentarii Grammatici*, Lugduni, 1572, *Syntaxis*, n, 62, p. 264 sq. Franc. Sanctii Brocensis, *Minerva*, Amstelaedami, 1761, C. 13, p. 245 sq. Menge, *Repetitorium*, 225. Juret, *Système de la Syntaxe Lat.* 1933, p. 303, b. 313. Llobera, *Grammatica class. lat.* 263, Riemann-Lejay, *Syntaxe latine*, 53, R. I., Zenoni, *Sintassi latina*, 59, 5, 4: Bergier, Schultz, Barriera, Reimann-Goelzer.

que, unusquisque, singuli, primus: *Nemo nostrum, multi vestrum, vestrum singulorum, vestrum primus* (LIV. I, 56), *pars nostrum ex urbe aufugit*. «*Homo utriusque nostrum amantissimus*» (CIC. *Fam.* II, 27). «*Imperium summum Romae habebit, qui primus vestrum, o juvenes, osculum matri tulerit*» (LIV. I, 56). «*Quis nostrum exercitationem ullam corporis suscipit laboriosam, nisi...*» (CIC. *Fin.* I, 10). «*Domus utriusque nostrum aedificatur strenue*». (CIC. *Q. Fr.* 2, 4, 2).

2) Sunt tamen non nulla exempla apud Tullium et classicae latinitatis auctores in quibus apparent *nostrum* et *vestrum* quin insit partitio et tunc sensus est «de nostra, de vestra persona»: «*Splendor vestrum*» (*vester*; *el brillo de vuestras personas*) CIC. *Att.* 7, 13, 3); «*Frequentia vestrum*» (*vestra*) (CIC. *Phil.* 4, 1); «*Contio vestrum*» (*Phil.* 6, 18). «*Recordamini quantus consensus vestrum (vester) fuerit*» (*Phil.* 5, 2). «*Noli me ad contentionem vestrum vocare*» (*Phil.* 4, 1). De his exemplis audi praeclearum Grammaticum Despauterium: «*Et quod diximus «dat nostrum, vestrum, patrios partitio tantum»*: de frequentissimo doctorum usu intellege, quia rarissime invenitur contrarium. Cic. pro Plancio (7, 17): «*Possumne eripere orationi vestrae contentionem vestrum?*» Idem contra Rullum, «*Vestrum frequentia*». Titus Livius primo tertiae decadis dixit: «*Fortuna vestrum ..*» Haec rara sunt et parce imitanda». Rectius igitur in allatis exemplis adhiberetur adjectivum possessivum (*noster, vester*) quam pronomem personale (*nostrum, vestrum*); et nota aliquotiens hoc adjectivum possessivum inveniri pro genetivo objectivo, sic in «*vester conspectus*», pro «*conspectus vestri*»: *conspectus qui fertur in vos, «injuria nostra» (nostri): quae est in nos; «mea contentio» = in me* (CIC. *Dom.* 57, 145).

3) Usurpantur *nostrum* et *vestrum* (praeter partitionem), vi cujusdam connexionis cum pronomine personali, cum adiungitur eis genetivus *omnium*: *Patria communis est omnium nostrum parens*» (CIC. *Cat.* I, 17) «*Omnium vestrum natura*». At tunc si *omnium* praecedat, semper adhibetur *nostrum, vestrum*: «*Patria communis est omnium nostrum parens*» (non *omnium nostra parens*) (CIC. *De orat.* I, 44, 196). «*Quae ad omnium nostrum vitam salutemque pertinent*» (CIC. *Cat.* I, 6, 14). Si vero *omnium* subsequatur adhiberi etiam potest adjectivum possessivum *noster, vester*: «*Voluntati vestrum omnium parui*» (*vestrae omnium*) (*De orat.* 3, 55, 208); «*Si in nostro omnium fletu nullam lacrimam aspexistis Milonis*» (CIC. *Mil.* 34, 94); «*Tenentur ii qui ad vestram omnium caedem restiterunt*» (CIC. *Cat.* 4, 4); «*Hic sunt... qui de nostro omnium interitu cogitant*» (CIC. *Cat.* I, 9).

## II. Nostri, Vestri

1) Genetivi *nostri, vestri* exhibent semper significationem objectivam seu passivam ac rem seu objectum patefaciunt in quod fertur actio verbi, substantivi aut adjectivi: «*Memento nostri*»: actio memoriam habendi transit in objectum quod est *nos*; «*Memor sum vestri*»: recordor de *vobis*. — Adhibentur igitur *nostri* et *vestri* post substantiva, adjectiva et verba quae genetivum exigunt: «*Pudet me vestri, miseret nostri, vestri similes, cupidus vestri*». «*Habetis ducem memorem vestri*». (CIC. *Cat.* 4, 9, 19). «*Grata mihi vehementer est memoria nostri tua*» (CIC. *Fam.* 12, 17, 1)

2) Adhibentur etiam *nostri* et *vestri* (sicut et *mei, tui*). In sensu possessivo *de me, de mea persona*: *Reliquit sui famam* (*Nep.* 6, 1, 1), *dejó fama de su persona*. *Memoria nostri tua* = *memoria quam de nostra persona habes*. Haecque videtur esse ratio quare Grammatici dicant post verba *pars, dimidium, membrum, quid, cet.*, cum de animo aut corpore humano dicuntur usurpari etiam *nostri* et *vestri* et sensus tunc est *pars de me, de mea vita de mea persona, de me ipso*: sic cl. vir Despauterius: «*Mei, tui, sui, nostri, vestri* junguntur nomina partitionem significantia, ut sunt *pars, dimidium, medium membrum, quid, aliquid, multum, cet.* ut *pars mei, id est de me, utpote*

manus, aut pes aut anima, cet. Pars mea, quam possideo, ut hereditas, aut portio. Sic differunt *aliquid mei, aliquid meum: Medium tui, medium tuum, cet.* In Ezechiele, Qui genuerit filios in medio *vestrum pro vestri*, teste Valla». Nullaque pars manet *nostri* (Sen. Troad. 2). *Nostri* pars melior animus est (Sen. n. N. Q. I Prol. 14). Manus est pars *nostri*. Cfr. tamen: «Magna pars *vestrum*» (Ter. Heaut, 3). «Majori pars *vestrum*» (Cic. R. Rullum).

3) Adhibentur genitivi *nostri, vestri* cum gerundivo: «*Vestri* vivendi causa. «Non vereor ne quis me hoc *vestri* adhortandi causa magnifice loqui existimet».

4) Ac tandem cum nominibus in-*tor, -sor* desinentibus: «*Deprecator, accusator mei, nostri*».

Haec sunt praecipua quae afferenda censui; qui subtiliores ament disquisitiones apud nostrum Sanctium in sua *Minerva* eas invenire valebunt.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

## **Ordo Studiorum**

ad attingendas litteras latinas a Beato Claret exaratus



Rem mihi facturus prorsus videbar congruam, si his, quae in superiore hujus ephemeridis numero adtulisset,<sup>1</sup> illa nunc adderem quae in libro «*Episcoporum Stimulus*», adpendice tertio Beatus Pater Antonius ipse scripserit. Ejus enim verba et linguae Latinae necessitatem et peculiarem hujus tradendae formam et quantum ipse temporis in clericis instituendis erogaverit lectoribus humanissimis nova sub luce illustrabunt.

«Ecclesia Catholica, inquit ergo Pater clarus, sermone utitur Latino pro

suo; quae enim acta ad Romanam Curiam vel Legatos transmittuntur, quaeque ex Episcopis ceterisque Praelatis ad clericos suos deferuntur, uno exarata sermone Latino habentur. Quo quidem sermone ita clericis est opus ut, qui ejusdem sint ignari, non jam Scripturas sacras, Theologiam, Jus Canonicum, Patrum scripta, id genus reliqua, ne Breviarium quidem aut Missale aut Rituale, qui libri tres Ecclesiae necessario sunt usui, rite intellegere queant. Oportet ergo quam maxime ut, qui ad sacros ordines adspirent, studio prius sedulo Latini sermonis vacaverint suamque in eo peritiam coram examinatorebus notam faciant.

«Qua necessitate et utilitate aliquantulum demonstrata, quo modo lingua Latina in seminario Escorialensi tradatur, exponam: Quattuor ibi per annos adulescentes illi Grammaticae Latinae ac, quae istam perficit, Rhetoricae impensissime adsuescunt, nec ullus eo ingreditur qui adhuc prima non jecerit fundamenta latinitatis.

«Tria autem monita ibi fideliter tenentur, eique tenenda erunt qui linguam Latinam perfectius cupiat discere:

<sup>1</sup> «The Young Claretian», published by the Missionary Postulants of the Immaculate Heart of Mary; Walnut, Calif U. S. A October, 1940

«MONITUM PRIMUM — Grammaticam adhibeant, quae sermonis Latini regulas Latine exprimat, utpote Antonii Nebrissensis, Iriarte, Scholarum Piarum aut alterius cujusvis; nulla profecto ratione habita earum, quae, cum omnes regulas vernaculo tradant, et facillime discuntur et facilius dediscuntur.

«MONITUM SECUNDUM — Ad versiones faciendas libros usurpent de Scriptura Sacra, ut «Selecta Historiae Tobiae»; sanctorum item Patrum scripta uti Sancti Leonis; Sancti Hilarii Arelatensis, «De vita sancti Honorati»; Salviani «De Gubernatione Dei»; Sancti Cypriani, «De bono patientiae»; sancti Eucherii, «Ad Valerianum».

«Ad poeticam artem exercendam, praeter hymnos Breviarii et Missalis, peritiles erunt: Juvencus, qui historiam evangeliorum versibus hexametris illustravit; Sedulius presbyter, qui Christi vitam et miracula variis metris exposuit; Arator cardinalis, qui Musis tradidit Acta Apostolorum, Aurelius Prudentius et alii.

«Auctores non sacros similiter evolvant ex eisque fragmenta seligant, quae nullam scandali praebeant occasionem, quaeque linguae Latinae proprie elegantissime discendae inserviant utpote inter alia multa: «Historia Romae» a Tito

Livio; «De bello civili» a Julio Caesare, itemque a Sallustio; «Viri illustres» a Cornelio Nepote; «Epistulae», «De Officiis», «De Amicitia», «De Senectute» et «Orationes» quaedam Ciceronis; «De institutione oratoria» a Quintiliano; «Odae» et «Epistulae» quaedam atque «Ars poetica» Horatii; totus fere Virgilius et sic de ceteris.

«Experientia teste, alii atque alii auctores magno sunt usus atque ad litteras Latinas perfecte adtingendas ecclesiasticis viris valde necessarii.

«MONITUM TERTIUM — Lingua Latina, licet appelletur mortua, apud candidatos ad sacerdotium tamquam viva est existimanda utque talis adhibenda. Quemadmodum qui linguas discunt vivas in eis continenter loquendo se exercent, ita sane faciendum latinitatis tironibus. Ideoque in Studiorum ordine praecipitur uti Latine semper ipsi loquantur, in aulis praecipue et deambulationibus, in tentaminibus deinde et concursibus atque in promotionibus ad superiores gradus».

Haec scribebat Beatus Pater Antonius cum Praeses esset Seminarii Escorialensis; alia tamen plura, Deo volente, sequenti numero erunt producenda.

ALOISIUS SURRIBAS DOT, C. M. F.

## EMERITA

*Commentarium de Philologia Classica in Hispania (Medinaceli, 4, Madrid)*

Salve commentariorum princeps, qui post ingentem cladem in campo bonarum litterarum, auspice Franco, renasci visus es. Adsis Hispanis in hoc latinarum graecarumque litterarum renatu ab ipso Institutionis Publicae Administro nunc praecipue impensius aucto. Consilia dirigas, studia foveas, stimulum augeas, nutriasque labores. Te duce, humaniores litterae in Patria florebut!

Prosequere didactica illa et scientifica opera, quae nobis ornamentum sint et decus.

Conlectionem classicorum cum graecorum tum latinorum demum magni animi ardore adripias, ne pueri ephebi que nostri ex gallicis vel italicis versionibus cognitionem classicorum auctorum diutius haurire cogantur. Patronos habes optimos. Clarissimi Professores — Vallejo, videlicet, Galindo, Pabón Magariños, Vallés — te favore prosequuntur tibi que dant operam. Amore te recipiant aemulente gentes. Sed pro dolor! Exteri gallicam linguam didicerunt omnes, hispanicam vero omnes fere ignorant; nonne igitur congruum foret, omnia compendiose latine tradere quae vernacule fusius enarrata fuerint?

Moderatores commentarii, rem adtente judicate, signumque amicitiae accipere benigne dignemini.

PALAESTRAE LATINAE MODERATOR

**BIBLOS, S. A. (Librería Subirana)**

Puertaferrixa, 14.-Apartado, 203  
BARCELONA (2)

**Obra nueva importantísima**  
**Gramática sucinta de la Lengua Latina**

por el P. Ignacio Errandonea S. J.  
(B. Litt. Oxford)

Es esta obra fruto de muy larga experiencia y brillan en ella las mismas excelentes cualidades didácticas de que aparecen adornadas todas las obras de su autor, insigne humanista oxoniense. — El la ha podido calificar de «sucinta» a pesar de su densidad y relativa perfección porque empleando en ella la misma nomenclatura y el mismo orden de materias que en su gemela latina, ha podido ahorrar mucho espacio, simplificar sus reglas y facilitar así su aprendizaje.

Un tomo en 4.º ptas. 8'50 rtca. y 11 en cartóné

DEL MISMO AUTOR

**Gramática Latina** (novena edición)

Un tomo en 4.º ptas. 14 en cartóné 11'50 rtca.

RELOJES, PIPAS Y PORTAMINAS  
REPARACION DE PLUMAS  
ESTILOGRAFICAS  
ESPECIALIDAD  
EN PLUMAS DE MARCA  
□

**Casa de la**  
**ESTILOGRAFICA**

SELLOS de GOMA y GRABADOS

VENTAS  
MAYOR Y  
DETALL

Fontanella, 19 - Teléfono, 12133  
BARCELONA

## Apud Administratorem "Palaestrae Latinae" veneunt

### *Conlectio Palaestrae Latinae*

ab anno MCMXXX ad ann. MCMXLI . . . . . 75 ptarum.

### *Primer Curso de Lengua Latina*

adaptado al cuestionario Oficial . . . . . 3 ptarum.

### *Segundo Curso de Lengua Latina* idem. . . . .

5 »

### *Historiae Sacrae Compendium* para el I curso de latín . . . . .

4 »

### *Epitome Historiae Graecae* (2.<sup>a</sup> edición)

para el II curso de latín. . . . . 5 »

### *P. Vergilii Aeneidos liber secundus*

para el IV y V curso de latín } con notas y vocabulario 4 »

} sólo texto latino 2 »

### *Prudentii Carmina Selecta* para el VI curso de latín . . . . .

6 »

### Faenus pro bibliopolis et professoribus

majus vel minus erit prout major vel minor sit exemplarium postulatio. Itaque si de exemplaribus agatur

supra 10=20 ‰, supra 25=25 ‰, supra 50=30 ‰, supra 75=35 ‰.

Omnia haec opera requiri possunt a


**"Palaestrae Latinae" Administratore - Lauria, 5. - Barcinone**



in Latinum  
translata a R.  
P. Ludovico  
MARCOS  
C. M. F.  
Villae Rosarii  
in Argentina  
litt. Lat.  
Professore.

LII

Namque bellua lacessita suo proprio ridendo lusu se praecipitem egit in apertam abyssum.




LIII

Exceptit omnes lacus in ima abyssio placide stagnans. Canis et vir procul ab arbore dejecti gurgite hauriuntur.



LIV

Lacus ille clementer effusus tumidis coepit horrere fluctibus, ferae namque turbatus validis motibus exagitur.



LV

Interclusi undique limo sese frustra expedire laborant.

